



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VI. Quid sit peccatum, quid peccati nequitia, quid peccati macula?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

11.
Solutioes.

Respondemus itaque argumentis Thomistarum priori propositione productis, neminem denegare, quin ex contemplatione divinitatis, atque intuitiva visione satietur rationalis animæ desiderium, & promanet gaudium perennis felicitatis, ut evincunt locupletissima testimonia sacrarum literarum, ac Patrum: sed ideo istud evenit, quod clara Dei visio totum amoris pondus attrahit in summum bonum, & istud voluntas arripit, complectitur, & perpetua fruitione comprehendit. Visio itaque beatitudinis causa efficiens est, non *formalis*; quemadmodum noticia desiderium parit, fides iustitiam, intuitus amorem. Neque alium habere sensum allatos textus, vel sola lectio commonstrat. Quid est enim, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*, & alia id genus plura? nisi forte, Orietur ex apparitione satietas, & ex visione similitudo? Illud vero, quod Joannes ait, *Hæc est vita æterna, &c.* aut de fide in Deum & Christum accipitur, aut de contemplatione beatorum; utrumque enim sensum exhibent nobis cum verba ipsa, tum Patres. Ut ergo usurpatis his verbis de fide nihil aliud significatur, nisi quod credere divinarum Personarum Trinitatem, & Verbi Incarnationem est fides

illa vera, per quam ad æternam vitam perducimur: ita si accipiantur de beatorum animarum contemplatione, demonstrant duntaxat, quod videre Deum facie ad faciem est illa summa cognitio, unde consequitur beatitudo, amor scilicet, & gaudium perenne. Atque eadem ratione expediuntur sententiæ Patrum adminiculo, præsidioque cæterarum, quarum supra nonnullas produximus.

Si autem institerint Thomistæ contententes intellectionem esse opus rationalium præstantissimum, nos contra affirmabimus nobiliorem esse charitatem, & amorem, quamvis ex ipsa intellectione dirigatur, ut cor præstat oculis, fideique dilectio. Si denique asserant per cognitionem fieri objectum præsens, ac possideri; respondebimus fieri præsens præsentia *objectiva*, non *fruitiva*, nec possideri in ratione boni, sed in ratione veri tantummodo. Præsentia vero objectiva per se gaudium felicitatemque non affert; imo parit aliquando anxietatem, animique mororem. At gaudium, inquis, ab ipso amore distinguitur? Ab amore utentis, concedo: ab amore fruientis, nego. Sæpe enim dictum est duos amoris dari actus uti, & frui: *Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quomodo diligit*, ait S. Pater in 1. de Doctrina Christiana cap. 31.

12.
Instantia
cum Solutio-
nibus,

CAPUT VI.

Quid sit peccatum, quid peccati nequitia, quid peccati macula?

SUMMARIUM.

1. Quomodo vitium, & peccatum definiendum.
2. Definitio peccati ex perverso ordine dilectionis.
3. An nequitia & inhonestas peccati sit quid positivum.
4. Probatur consistere in positivo.
5. Probatur, nequitiam peccati consistere in privatione
6. usque ad 12. Solutio Objectionum.
13. Quid sit peccati macula.
14. Labem peccati esse privationem decoris animæ comparatione deducitur.

1.
Quomodo
vitium &
peccatum
definiendum.

A VIRTUTE ad vitium disputatio nostra progreditur, non quidem ad illud, quod est defectus naturæ, vel artis, cuiusmodi est deformitas corporis, vel ædificii, sed ad illud, quod est pravitas animi, & officiorum humanorum turpitudine: & quod vulgari sermone appellatur Peccatum. Vitium tamen frequentioris sermonis consuetudine, non pro solo peccati actu, sed pro peccandi habitu, veterique instituto usurpamus. Quærentibus itaque quid peccatum sit, repeto non semel explicata, extare in nobis à creatore inditam, & immutabilem regulam æquitatis, à qua voluntas humana desectendo vitiosa redditur ac perversa, dum ea facit, quæ

æquissima illa ratio condemnat, aut omittit, quæ docet esse complenda: nec non voluntatem suos actus exerere, aut imperare sive utendo, sive fruendo. Ex his puto manifestam esse definitionem vitii, & peccati. Vel enim illud describere volumus comparate ad legem communem æquitatis ac rectitudinis, vel ad ipsam voluntatis inordinate diligentis nequitiam & pravitatem. Si regulam illam, rationemque spectemus; liquet optimam esse definitionem peccati traditam ab Augustino lib. 1. de duabus Animabus cap. xi. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod Iustitia vetat, & unde liberum est abstinere*: vel

vel alteram lib. XXI. contra Faustum cap. 27. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra æternam Dei legem.* In quarum definitionum primâ exprimitur sola voluntas, quoniam hæc tantum actus liberos elicit, aut imperat: in altera etiam opera commemorantur, sed quæ nonnisi à voluntate peccati mutuatur nequitiam. Quomodo autem tenendæ sint allatæ definitiones circa originale peccatum, dictum in libro de Hæresi Calviniana, nec non in altero de ipso peccato originali. Nec aliam circa has peccati definitiones arbitror superesse difficultatem. Nam quod opponunt non quadrare illas peccato omissionis, cassum nimis est, & pertineat: ad unum quippe genus pertinere affirmationes & negationes, antiquum est vulgatumque pronuntiatum Dialecticorum.

2. Definitio peccati deprompta ex perverso ordine dilectionis, talis esse potest: *Peccatum est inordinatio amoris, quo avertimur à bono incommutabili, & convertimur ad bona commutabilia, sive, est perversio voluntatis, quæ utitur fruentis, & fruitur utendis.* Atque hanc definitionem traditam pariter ab Augustino constat ex superiori capite quarto. Et quæcunque ibidem de natura virtutis differui, has vitii descriptiones luculenter confirmant: quoniam virtutum, & vitiorum debemus oppositas constituere rationes, & si illas perficit ordo amoris, hæc sita profecto erunt in ejusdem amoris perversitate.

3. Quantum vero ad Peccati nequitiam & inhonestatem, quam malitiam appellat, licet sit malitia certi vitii nomen, id est, calliditatis vel fraudis, non virtuti contraria vitiositas, ut scribit Tullius in Tusculanis; sophisticæ magis, quam Theologicæ inquirunt an positivum sit aliquid, an privativum. Et qui priorem sententiam propugnant eam nituntur stabilire sequentibus argumentis. Principio, inquirunt, traditæ nuper peccatorum definitiones hanc opinionem communiunt. Voluntas enim, ejusque motus deliberatus erga aliquid æterna lege prohibitum, nihil profecto non sunt. Si ergo peccatum est prava voluntas, & inordinatus amoris cum deliberatione impetus, aliquid erit, non privatio duntaxat. Multo magis ad essendi naturam accedunt quæ aut dicuntur, aut fiunt, aut desiderantur adversus æternam Dei legem: ideoque si peccatum est aliquid factum, &c. sua natura, atque entitate non caret. Similiter nonne positivum aliquid exprimit definitio

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

postrema, qua diximus nihil aliud esse peccati perversitatem, nisi frui utendis, & converti ad bona commutabilia? Itaque videtur dictis coherere opinio illorum, qui culpæ pravitatem in positivo constituunt.

Proferuntur pro hac assertione argumenta alia à ratione petita: Quarum primum est: Dantur duo vitia eidem virtuti opposita. At opponi nequeunt ob privationem, quoniam uni, ut inquirunt, formæ nonnisi una privatio respondet. Opponuntur itaque per entitatem aliquam ipsorum vitiorum pravitates constituentem. Sequitur argumentum alterum: Sunt peccata quædam per se mala, ut odium Dei, mendacium, blasphemia. Horum autem peccatorum nequitia non desumitur ex aliqua deficientia à lege malum prohibente, quia suapte natura, & præcisâ quacunque lege sunt flagitiosa: neque à privatione rectitudinis, quia privatio non datur nisi in subjecto recipiendi formam privationi contrariam capaci; qua capacitate liquet hujusmodi peccata carere. Ista igitur consistere nequeunt in sola privatione & defectu. Proximum est argumentum ex absurdis à contraria sententia fluentibus. In illa quippe nihil erit peccatum, nihilum remittet Sacerdos, pro nihilo damnabitur transgressor legis, in nihilo peccatum commissionis diserepabit à peccato omissionis. Postrema argumentatio sit: Unum peccatum est gravius altero. Nulla privatio altera privatione gravior est. Nullum ergo peccatum est privatio.

Longe tamen probabilior est eorum sententia, qui peccatorum nequitiam in privatione constituendam esse contendunt. Pro hac enim sententia faciunt argumenta omnia, quæ vel ab auctoritate, vel à ratione mutuatus sum differens de natura mali adversus Manichæos lib. I. cap. 8. Non arbitror ea repetere necessarium. Huc pariter collineant, quæ scripsi libro XVI. cap. 3. de vitiorum origine: ubi ex Augustino demonstravi idcirco fruitionem mutabilium bonorum & deliberatum quodcunque malum opus esse peccatum, quoniam deflectit ab æterna lege æquitatis cordi singulorum inscripta. In his ergo duobus locis invenies argumenta hujus assertio- nis præcipua. Quibus accedit testimonium Augustini Tract. I. in Joannem scribentis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi male intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil.*

nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est quia peccatum nihil est, & nihil sunt homines cum peccant. Atque missa interim hac ingeniosa expositione Augustini, inde depromo validissimum ratiocinium. Si enim omnia per ipsum facta sunt: per ipsum autem non est facta nequitia ac turpitudine peccati; consequens est nequitiam istam non comprehendi rerum omnium universitate, & nihilum esse reputandam. Superioribus ergo argumentis, atque his perpaucis redditur postrema sententia validior.

6. Notandum pro Solutionibus de complexe & incomplexe significabilibus.

Ut facile solvas allata in oppositum argumenta, memineris quæ scripsimus ix. libro cap. 2. & 5. distinguenda esse in enunciationibus ea, quæ *incomplexe* significabilia sunt ab iis, quæ significari tantum valent *complexe*. Quidquid igitur significabile est *incomplexe*, uno scilicet propositionis vocabulo etiam ab aliis sejuncto, est res aliqua, ut si dixeris, *Deus est substantia*, Deus res est, quoniam hoc nomen *Deus* *incomplexe* significat rem, id est, divinitatem. At si dixeris, *Relatio illud est, quo Pater refertur ad Filium*; relatio non est *entitas* aliqua à Patre, vel à Filio distincta, quoniam significari non potest nisi *complexe*, id est Patris Filiique vocabulis. Peccatum igitur definiamus cum Augustino aut *Factum, dictum, vel concupitum contra Dei legem*, aut *Conversio ad bonum fluxum & commutabile*, aut quomodocunque illud definire libeat; non adinvenies in aliqua ex iis definitionibus vocabulum unum, quod *incomplexe* acceptum, id est solitarie ac ab aliis divulsam, valeat designare peccatum: ideoque peccatum est *complexe* tantum significabile, & nihil.

7. Responsio ad 1.

Itaque respondemus ad primum argumentum recte traditas ab Augustino prædictas omnes definitiones, peccare enim est agere contra æternam Dei legem, sese ad creata bona convertere, frui utendis, & si quid est hujusmodi: at non sequitur peccatorum nequitiam esse aliquid *positivum*, cum nullo *incomplexe* definitionum illarum vocabulo possit significari. Ita si dixeris, *Qui claudicat altero pede nutat, nec recte incedit*; bene describis claudicationem per actum pedis nutantis, & non recte incedentis: nec tamen claudicationis deformitas est aliquid *positivum*, sed rectitudinis deficientia, quam designare termino *incomplexe* illius enunciationis non possumus.

8. Responsio ad 2.

Ad argumenta secundo loco proposita hoc habeto responsum. Potest eadem

privatio in pluribus subjectis reperiri, ut carentia rectitudinis in virga ferrea, vel lignea: potest etiam illa privatio terminum oppositum connotare, ut si virga ferrea dextrorsum, lignea sinistrorsum flectatur. Hoc pacto dantur duo vicia eidem virtuti contraria, v. g. effusa prodigalitas, & parca tenacitas. Ultraque enim à temperantia deflectit, hinc illa profundendo, istinc illa avidius restringendo, nec tamen illarum nequitia est aliquid, sed ut virgarum duarum curvitas, opposita à rectæ æquitatis deflexio. Brevi dicam: Est eadem privatio *connotative* diversa. Ad alterum dico, mendacium, & Dei odium ideo esse intrinsece mala, quia suapte natura æternæ legi repugnant; & ex quo nequeant habere cum ipsa lege conformationem infertur tantum, quod sint semper, & essentialiter peccata. Sive autem appellaveris hujus conformationis defectum privationem, sive negationem, mea nihil refert. Quamquam scio respondere Scholasticos argumento Vasquesii, etiam mendacium, & odium Dei habere illam rectitudinis capacitatem, non quidem considerata secundum peculiarem rationem mendacii, vel odii, sed secundum communem, & universalem actus humani. Ad tertium primum dico argumentum, si quid probat, concludere etiam de peccato omissionis, quod tamen remittitur à Sacerdote Dei ministro, & plectitur punitione, consistat nihilominus sententia Adversariorum in *privatio*. Deinde respondeo nequitiam peccati remitti, ut tenebræ fugantur à sole, id est, lucem sanctificantis gratiæ diffundendo, non destruendo *entitatem* aliquam; & peccatorem puniri, non quia operatur, sed quia aut non operatur, aut male operatur, quomodo servus vapulat, dum iussa negligit, aut illa incommode exequitur. Præterea peccatum non *privationem* tantummodo importat, sed etiam maculam animæ, quæ, ut infra dicam, est privatio nitoris, ac pulchritudinis, sine qua merito à Deo repudiatur, atque contemnitur. Peccatum autem commissionis differt à peccato omissionis ratione actus: sed *materialis* differentia hæc est, ut Scholastici appellant, non *formalis*. Denique una *privatio*, licet non sit major altera in se considerata, quia nihil est; est tamen major altera *connotative*, id est comparate ad bonum, cujus est privatio, sive ad regulam summæ æquitatis, à qua deflectit: unde ad postremum argumentum nego minorem.

Con-

9.
Obiectio ex
Augustino.

Contra allatum Augustini testimonium ex Tract. 1. in Joannem posset quis obijcere. Protulit Augustinus eam sententiam: *Peccatum nihil est*, quod in 1. cap. Evang. Joannis legendum putaverit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. At frustra ex hoc loco Augustinus sententiam illam derivat. Primo quia Græci textus ubique habent: *Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο ἃ ἐν ὁ γέγονεν*: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. II. Joannes Chrysostomus hom. 1v. in Joannem scribit esse hæreticum, uti ea lectione, quam usurpat Augustinus: *Neque enim, inquit, cum dixerimus, sine ipso factum est nihil, id puncto notabimus, ut hæretici opinantur*. Addit ineptam esse hanc legendi rationem: *Nulla profecto ratione hæc intelligi potest oratio*. III. Cornelius à Lapide Comment. in cap. 1. Joann. recitata expositione Augustini ait: *Verum hoc subtilius est, quam solidius, ac coactius, quam germanius, teste S. Hieronymo in cap. 2. Michææ*. Plura autem Valla, Erasmus, & alii, qui communiter Augustinianam lectionem rejiciunt.

10.
Solutio.

Resp. 1. Optimam, ac probandam esse interpretationem Augustini, posita ubivis interpunctione. Nam si omnia per verbum facta sunt, proculdubio peccatum, quod non est factum per Verbum, est nihil. Deinde respondeo frustra rejici Augustinianam lectionem Græci textus auctoritate. Nam in aliquibus Codicibus talis est distinctio, *καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο ἃ ἐν ὁ γέγονεν ἐν αὐτῷ ὥν ἦν*. *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat*. Liquet ita legi apud Cyrillum Alex. cap. 5. & 6. in Joannem, & videtur interpunctio abrasa ad revincendum pravam sensum Macedonianorum. Isti enim in verbis Joannis hunc pravam, & contortum sensum contineri jactabant: *Sine ipso factum est nihil: & Spiritus sanctus, qui in ipso vita erat, factus est*. Recte itaque Chrysostomus scribit hæreticum esse Evangelica verba tali puncto notare, ut illud, *Quod factum est*, non nisi Spiritui sancto conveniat. Addit quoque nulla ratione intelligi posse illam Macedonianorum orationem; & bene profecto. Sequitur enim directe ex hæreticorum istorum interpretatione non Verbum, sed Spiritum sanctum hominem factum. Etenim scribit Joannes v. 4. *Et vita erat lux hominum*. v. 9. *Erat lux vera*, & v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Si ergo de Spiritu sancto accipiendum esset:

Quod factum est in ipso vita erat, ipse Spiritus esset lux vera, quæ in mundum venit. Nequit ergo in sensu Macedoniano orationis complexio intelligi, ut recte Chrysostomus. Hinc nonnulli freti ejus auctoritate scripsere interpunctionem ab hæreticis affictam; quod tamen valde incertum est. Diximus enim sanctum quoque Cyrillum Evangelica verba eodem puncto disjungere. Unde Zegerus, quem oppono Laurentio Vallæ, *Utraque distinctio*, inquit, *apud Orthodoxos reperitur Scriptores*. Erasmo opponam Brianum Waltonum laudantem in variis lection. Bibliorum verba Lucæ Brugenſis: *Consulto, prudenſerque uſi ſunt correctores Sixtini ambiguo hoc diſtinguendi modo, quo illud, Quod factum eſt, & præcedentibus jungi poteſt, & ſubſequentibus: eo quod diverſi auctores diverſimode diſtinguant, atque intelligant, Chryſoſtomus priori modo, Auguſtinus poſteriori*.

Legens Hieronymi Commentaria in Michæam Cornelius à Lapide dormitavit. Ad hunc plane modum Hieronymus loquitur: *Scio me in cujusdam Commentariis legiſſe exponentis Joannis Evangelistæ principium, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, hoc quod dicitur, nihil, ad malitiam retuliſſe; rurſumque ipſam malitiam interpretatum eſſe diabolum, & iſto quaſi gradu ipſum, quod factum eſt ſine Chriſto, nihil, diabolum intellexiſſe. Si igitur malitia, & Diabolum nihil eſt, & fugerunt qui corruptione corrupti ſunt; nullo, id eſt, nihil perſequentem, Diabolum eos eſt perſecutus in nihil. Quod ſi cui videtur nimis coactum, & contra ſcripturæ ſimplicitatem artiſicio potius eloqui, quam vera interpretatione diſſertum; vel priorem, vel quam ipſe reperit expoſitionem ſequatur*. Ex quibus conſtat interpretationem Augustini etiam antiquorum Commentariis eſſe probatam, à Hieronymo adhiberi, & commendari, non rejici; neque coactam abſolute dici, ſed relinqui arbitrio lectoris, ſi forte ipſi talis videatur, qualem Hieronymus non exiſtimat. Quamquam ſi coactam, & nimis artiſicioſam ipſe quoque putaret, id accipiendum eſſet non de nihilo peccati, ſed de nihilo Diaboli; nam hunc eſſe nihil difficilius eſt intellectu, vel ſubobſcurum ſaltem, atque involutum.

Si dixeris Augustinum appellare peccatum nihil adverſus Manichæos opinantes malum quamdam eſſe ſubſtantiam, & conſequenter propugnari poſſe, quod ſaltem ut accidens; reſpondendum

dum est accidens quidem esse, & qualitatem substantiæ adventitiæ, sed non *entitatem* illam parvam, quam vulgus Philosophorum invexit, sed malam perverſamque animi affectionem ortam ex recti ordinis deficientia, cujusmodi est aeris tenebricoſi obſcuratio per lucis privationem inducta; ut late adverſus Manichæos in primo libro diſſerui.

13. Tandem videndum est quid sit peccati macula, permanensque in anima reatus, nam actu malo, & ab æquitate devio tranſeunte, inſidet adhuc, donec expietur, labes, & culpa. Certum porro est maculam illam esse actum ipsum peccati, cum is, ut dicebam modo, prætereat, macula autem remaneat; neque esse *habitus*, sive inhærentem ad malum vehementem inclinationem, quoniam hæc repetitis actibus inducitur, culpæ autem macula uno tantum. Videtur etiam non esse privationem gratiæ tantummodo, cum hæc peccati sit pœna, atque eadem in peccatoribus omnibus mortaliter delinquentibus. Dum vero reatum dicimus, explicatur culpa tantum per comparisonem ad pœnam, & ad justitiam punientem; ideoque reatus nomine non satis culpæ inquinamentum exprimitur. Esse peccati labem privationem decoris, nitrisque animæ, dictum paulo supra, & asseritur à D. Thoma 1. 2. q. 86. art. 1. sed nondum videtur rem assequi ingenii nostri tarditas & infirmitas.

14. Brevi conabor tenebras discutere manifesta comparatione. Rectum teneo bacillum, sed flexile, cujus pulchritudo est rectissimum esse. Illud inſecto, ut à recto declinet; atque flexione ista quamdam contrahit deformitatem ipsi inhærentem, etiam dum flectentem manum retraxero. Possum illud facile ad priorem rectitudinem flexione opposita revocare. Si tamen semel, atque ite-

rum detorqueam, efficitur in bacillo pronitas quædam ad curvitatē, ut vi x in rectum dirigi valeat, & si dirigatur, jam summa facilitate denuo contorqueatur. In quo exemplo laboriosum non est deprehendere quale discrimen intersit inter flexionem manuum mearum, virgæ curvitatē, & faciliem ad obliquum regressionem: flexio enim illa præteriens actus est; curvitas persistens in bacillo deformitas: illa denique facilitas vitium actibus repetitis productum.

Humana itaque voluntas potest ad bonum, atque ad malum à libero arbitrio inclinari. Ejus honestas, & decor est rectam esse, scilicet à lege æterna nullatenus detorqueri. Dum pravo motu liberi arbitrii avertitur à summo bono, & ad fluxa bona convertitur, contorta redditur, & difformis. Nequit ad formam, nitoremque pristinum reduci, nisi sancta dilectione recta iterum fiat, & averſa à bonis commutabilibus, conversa ad bonum incommutabile. Si tamen cupiditati obsequens frequenter à summa æquitate declinet fruendo utendis, & creatis bonis amore inhærendo, induit quamdam perversitatis proclivitatem, ut facile in nequitiam recidat postquam pio animi conatu iterum recta evaserat. Atque hæc Augustiniana doctrinæ penitus coherere, arbitror ex dictis manifestissimum. Motus ergo ille liberi arbitrii inclinans voluntatem ad malum, est actus peccati: deformitas permanens in voluntate, quoadusque iterum convertatur in summum bonum, est peccati macula, & labes: facilitas illa magna, & ad iniquitatem propensio est peccati *habitus*, sive peccandi consuetudo. Ita fit, ut prætereunte peccati actu persistat macula, & perseveret deleta macula *habitus*. Vide, quæ diſſeruimus libro xiii. de peccato originali.

CAPUT VII.

Num dentur peccata natura sua venialia?

SUMMARIUM.

1. An detur peccatum sua natura veniale.
2. Unum peccatum est gravius altero contra Stoicos.
3. Sententia Calvinii.
4. Peccatum duplici sensu veniale.

5. Propositio.
6. & 7. Probatur.
8. & 9. Responsio Hæreticorum cum solutione.
10. Probatur Propositio ultimarum.
11. Usque 18. Solutio Objectionum.

I.
An detur
peccatum sua
natura veniale.

VERSIONEM ab incommutabili bono spiritualis mors animæ, privatio sanctificantis gratiæ, sempiterni supplicii meritum, atque Dei con-

sequitur inimicitia. Sicut enim gratia, vita, & Dei inhabitatio castum charitatis amorem, ita crimen, interitus, Dei-que odium comitatur deliberatum motum